



2b. 15



M. MARTINI FUSSELLII

Prof. Philosoph. Practicæ & p. t.
RECTORIS

In Illustri Schönauichiano

Programma funerarium,
super obitu præmature

*Præstabilissimi Literatissimiq;
Juuenis-viri*

DN. NOÆUN-
VVIRDI, Sprottani,

ProRectoris in Illustri Pædagogio Betha-
niensi solertissimi

*Ad Juuentutem literariam publicè
directum,*

Sub ipsâ die exequiarum in Patriâ
illi adornandarum,



BETHANIÆ,

Excudebat MARTINUS BRÜXERUS,

Anno M. DC. XXIV.

60. }
70

17
18
19

INNOVATIONEN

17
18
19

A





Um infinita numero sint, quæ testa-
tam faciant DEI ter. Opt. Max. sapientiam
habet; tùm illud cū primis admirationē
quòd in avocandis ex hâc vitâ mortali-
bus, longè quàm ratio nobis nostra dicti-
tat, modo utaturalio. Etenim, si nostro
denascendum esset iudicio; caderent i-
tantùm, aut saltem maturiùs, quorum
vitam putaremus futuram absq; emolu-
mento ad plures; subsisterent contra diutiùs multò, à quibus opi-
naremur posse ad nos commoditatis aliquid derivari. Certè ri-
demus, & ferè non iniustitiæ accusamus, si quis succisâ oleâ, olea-
stro; aut radicibus evulsâ salutarî Pæonia urticæ locum faciat.
Ut ut verò hâc inter homines videntur esse quàm maximè ab o-
mni jure aliena; parum tamen abest, ut DEO in eundem mo-
dum agenti ulla sit non observatæ æquitatis assignanda labe; ut
potius hâc ipsâ ratione manifestò prodat, quàm sit æqui ac recti-
modo omni observantissimus. An enim reum ages, violati ju-
ris, si, qui pecuniam apud te deposuit, eandem reposcat: aut
quam mutuò dederat, rursus exigat, quanvis eâ utare vel rectis-
simè, aut usurus etiam demùm tibi videare quàm commodissi-
mè? Pare in modum, ubi DEUS solus ἀνυπεύθυνος Spiritum
reposit, quem nulli mancipio, omnibus usui tantùm dare solet;
reperit quod suum fuit, & redire ad se jubet, quod ante à se exie-
rat. Quid verò iniustitiæ, si vel maximè vitâ hâc functus fueris,
ad cor, ut sic loqui liceat, ipsius DEI, eademq; priveris maturi-
us; ubi pro vitæ hujus caducæ chalybe, fortis æternæ illius sele-
ctissimum aurum? Itaq; veneranda potius hâc DEI est paradoxa
sapientia; quàm altius rimanda, & precandum magis, vel etiam
monendum, ut agnoscant tandem, quicunq; vitam hanc vivunt,
minus quàm par est, congruenter, quid vitæ illius perennantis
fons & pater velit, quando pios quosq; præ oculis nostris deflore-

scere, alios contra efflorescere, patitur. Est ea DEI *χρηστότης*,
ut vel agrè faciat etiam dilectissimis suis, quò tandem ad se pel-
liciat trahatq; , qui usquè soli sese ventri natos, & mundi hujus
delictis mancipatos reapse testantur. Scilicet hoc agit; ut ar-
gumentari tandem discamus; non futurum à lethali teredine
immune aridum lignum, dum ne viride quidem immune esse
queat; & intelligamus juxta, non nisi saginari ad majores,
easq; justo DEI judicio pœnas infligendas, quicunq; cum vitijs
confescent. Scilicet idem egit præpotens DEUS noster, dum
experiri voluit, quod per legem naturæ debemus singuli, *Prestan-*
tißimum literatissimumq; virum Dn. NOAM UNVVIRDIVM in Illustri
Schõnaichiano Pædagogio Præceptorem & ProRectorum solertissimum
qui ætate subreptus viridi etiamnum & immaturâ, docere nunc
potest, esse mortis imperium in omnes, ejusdemq; falce demeti
quosvis etiam flores flosculosq;. Vidit eum nascentem *Sprottavia*
anno à servatore JESU CHRISTO nato supra millesimum
quingentesimum, nonagesimo sexto, die illa quæ sacra est CHRI-
STO in coelos ingresso; eundem denascentem conspicata est pro-
pidiana luce labentis nunc anni eadē *Sprottavia* vel hoc nomine
præter alia celebris, quod hætenus raro DEI beneficio *sat pro vi-*
ta habuerit. Sic vitam abruptit vicesimus octavus ætatis annus
decursus, qui cum esset climactericus *κλίμακα μακαρίτη* nostro sub-
ministravit ad vitæ beatioris ingressum, DEI provisu minimè de-
clinabilem. Parentem habuit & genere, & virtute & eruditione No-
bilem Dn. NOAM UNVVIRDIVM laudatæ & commendatæ memoria,
cujus consilia Republica Sprottana non cum uno emolumen-
to sæpius audivit. Verè enim de eo Patria, dum in vivis esset di-
cere poterat, quod de Auphiarano Aeschylus:

Ὅυ γδ δοκεῖν ἀεργός, ἀλλ' εἶναι, θελεῖ
βαθεῖαν αὐλακὰ Δαΐ. Φρενός καρπούμεν
Ἄφῆς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βελέματα.

Hic è *Clostorum* familia, quæ & ipsa viros civesq; dedit Republicæ Pa-

ca Patriæ salutare, consiliisq; in bonum publicum pollentes,
conjugem sibi delegerat quæ integritate vitæ & morum lenitate,
usq; bonorum omnium animos sibi devincit, & nunc mutato pie-
tatis ordine filio; quo primùm Maritum parentem fecerat, ex-
quias tristissima parat. Erat uterq; parens in eo, ut maturè jis
studijs assuesceret puer, quibus olim cum pietate suum erga DEUM,
inter homines quoq; & amorem conciliare sibi aliorum, & digni-
tatem toti addere familiæ posset. Ita q; vix quintum ætatis an-
num ingressus, in Scholâ patriâ tyronem egit literarum; in eaq; ad
usq; septimum decimum ætatis annum hæsit; præceptore cum,
primis præter alios usus *Clariss. Excellentissimoq; viro M. JOHANNES*
S. CULTETO, ob ipsam nunc venerandam canitiem reverendo. Ja-
ctis sic studiorum fundamentis, uberioris ingenij cultus gratiâ, pa-
rentum monitu, in *Bethaniensem ludum*, qui sub idem tempus, rarâ
BARONIS SCHÖNAICHI munificentia, & Reverendi juxta atq; Cl.
Dn. M. ADAMI LIBIGH Scholæ tùm Rectoris, nunc Ecclesiæ Pastoris &
in Gymnasio S. S. Theologiæ Professoris, accuratâ moderatione efflo-
rescebat, concessit; tritaq; ibi annorum triade, cum erectæ esset
ad virtutē, & elegantes literas indolis, ita se Gratijs & Musis infi-
nuavit, ut Præceptoribus honori, parentibus gaudio, familiæ de-
cori jam tùm esset. Relictâ Bethaniâ ut ingenium magis magisq;
excoleret, & in luce constitutus publicâ, specimina præberet ex-
suscitatae indolis, Peripatum salutavit Electoralem, qui Franco-
furti ad Oderam est, in eoq; ad decimum ferè quartum mensem
obambulavit, in studia incumbens præcipuè illius generis; è quo-
rum penu consilia olim promeret in patriæ emolumentum. Huic
ipsi suæ Patriæ Francofurto redditus, cum delitescere domi aut
otitari non posset, & perspectum haberet, studia intermissa vige-
re, continuata rigere, in *Archipalatinam abijt. Stoam*, ibiq; *Ἐπιμελέ-
σατ' ὁ τῶν πραγμάτων*, annum substitit integrum; substiturus porrò
ni *Amplissimus Patriæ Senatus* pensitatis, quæ in ipso jam dudum e-
nitue-

nituerant, virtutibus, & ætati congruenter acquisitâ prudentiâ,
ad *Notariatum*, ut vocant, revocasset.

Paruit Patriæ votis, vel potius DEO vocanti, & spartam
quam hîc nactus fuit, eandem, qua ipsâ & parens cum laude aliquot
annos functus fuerat, quâ potuit fide industriaq; ornavit. Sed
non resederat tamen ardor ille, inserviendi pubis tenerioris stu-
dijs, quem dudum ante senserat, non tam aliorum suasu, quam
suapte ipsius propensione. Itaq; hoc vovere impensius, ut lice-
ret aliquando talentum, quod acquisiverat in juventutis bonum
impendere. Commodum acciderat, ut Pædagogium Schönai-
chianû Collegâ careret, quem *Correctorem* vulgus vocare assuevit.
Itum *Illustris Baronis Schönaiçbij* assensu voluntateq; & votis Sena-
tus Scholastici, ad *literatissimum UNWIRDIUM*; qui conditio-
nem divinitus offerri sibi ratus, eandem magnâ cum lubentiâ su-
scipit. Absterere eum poterant, & afflicte eorum res, qui Scho-
lis præfunt, eorundemq; frequens despiciatus, cum primis autem
familiæ nobilioris nomen, quippe quæ usq; adeo est antiqua, ut
FRIDERICUS UNWIRDIUS quispiam, Virum Principem Si-
lesie ad Concilium Constantiense, supra Hussij causâ potissimum
coactum, comitatus legatur. Sed ipse cum ingenio esset miti, &
præavitæ summisionis æmulo (nam & avus Paternus non erubuit
Christiano cæti usq; dum rude donaretur, verbi prædicatione
antistes esse) facile eos difficultatum montes transferebat, quos
multi nunc, quodam vel generis, vel indolis, vel eruditionis, vel
opum fascino quasi eluscati, vix moveri posse autumant. Ut ve-
rò cum magnâ lubentiâ Scholæ se dedit; sic eidem non dispari
cum fide, diligentia atq; prudentiâ præfuit. Quem ipsum in mo-
dum & Genotissimi Baronis nostri gratiam, & reliquorum Colle-
garum favores, ita sibi comparavit, ut absq; ullâ difficultate, ad
ProRectoris, cum vacaret, munus propere ascēderet, factò nimirû
sibi καὶ λῶ βαδμῶ cum doctrinæ elegantia, tum morum probitate,
ad

ad munus illud, quin & alius aliquod si vitam prorogari vel paulisper contigisset. Ea ipsa duo etiam effecerunt, ut à iuventute amaretur pariter, & metueretur. Et istud quidem, quòd fide, quâ par erat, pubis literariæ commoda quærebat, hoc, quod ita vitam moresq; suos conformabat, ut ipsa nihil haberet, quò offendi jure posset, unde ve ullam sibi licentiam fingere auderet. Sic functus est officiũ hoc cùm laude, cùm bonorum omnium applausu ad tertium usq; annum, donec nempe per morbi latentis insidias licuit: Aggressus ille *UNVIRDIUM nostrum* non unâ vice & audacter satis, quod filium, jure, ex parente, hæreditario, convenire posset: Sed nunquam tamen ita prostravit, ut non assurgeret rursus, & hortulum suum Scholasticum obiret, reviseretq;.

Factum tandem est, ut vicesimâ quintâ Februarij die, idem morbo *μακαρίτης* nostri corpus jam ante suapte naturâ imbecillum vehementius invaderet. Id propter Bethaniâ Sprottaviam discessit, ut & maternâ, fidaq; medici curâ, si fieri posset, sublevaretur citius, & periculum faceret, num mutato aëre, etiam malum posset immutari. Hic cum videret id ipsum malum ingravescere indies magis, medicorumq; operas pertinacissimè spernere; insuper continuo sudore maderè corpus; pensitaret præterea, quæ rerum humanarum undiquaq; facies, quàm res mortalium fere existèrent conclamatae; aspirare toto spiritu cepit ad quietem illam æternam; & sese totum committere illi, cujus arbitrio omnia nostra stant & cadunt. Molestum colluctanti cum morbo id præ omnibus ferè fuit; quòd nec in sermonem venire cum alijs, ob asthma vehementius, nec in lectionem, quâ maximè aliàs delectabatur, vacare licebat. Itaq; vocati in subsidium alij, qui tempus prælegendo fallerent. Irroborante interim indies tabe, adeò, ut ne lecto quidem movere sese usquam posset, nil tandem potius Paulinâ illa *εις τὸ ἀναλύσει ἐπιθυμία* habuit, non tam acerbitate dolorũ, quàm vitæ hujus terrestriis tædio, & summo coelestis illius desiderio eodem suis unicè directis suspiriis. Nec frustra fuit.

Cujus

Cujus n. iussu ærumno seavit & jugum subierat, ejusdem voluntate idem tandem à cervice suâ deiecit. Id accidit prægressâ Jovis die, ad quam horâ ab aurorâ proximâ, postquam animam Conditori Patri spe lætissimæ ad beatam illam, vereq; Amaranthinam vitam resurrectionis commendasset, placidè inter piissimæ matris, charissimorumq; fratrum brachia exspiravit, vel è feretro usq; nunc proclamans, quod Chorus apud Euripidem.

Γίγνωσκε δὲ

ὡς πᾶσιν ἡμῖν κατθανεῖν ὀφείλεται

Cæterùm parabuntur defuncto à matre pienssimâ nuncq; Ingen-
tissimâ, debitum in modum in patriâ exequiæ, ad primam hujus
diei pomeridianam horam. His quando quidem vobis, Adole-
scentes, interesse ob causas non unas integrum non est, & æquum
tamen quocunq; tandem modo, amorem vestrum in Præcepto-
rem meritissimum contestari: Saltem ad dictam modò horam,
vos alijs subducite cogitationibus, atq; meditamini paulò accu-
ratus, quo privati nunc sitis studiorum morumq; vestrorum for-
matore, & gratis eundem moerentibusq; animis absentes ad tum-
bam comitamini, quando non potestis oculis madentibus præsen-
tes. Res omnino est plena curarum, plena periculi, unum multæ
publ. literariæ præf. cum ejusdem bono, a deo ut sanctissima jure
meritò debeat esse memoria illorū, qui id cum laude præstiterunt.

Faciat miserator DEUS, & supremus καθηγητῆς noster JESUS
CHRISTUS, ut quod Pædagogium nostrum, ex UNWIRDI
nostri πολλῶν ἀνταξίου ἀλλων obitu experitur modò damnū, prope-
rè ad vestrum cum primis emolumentum refarciatur.

P. P. Bethaniæ XVI. Kalend. Julii Anno

Christiano M. DC. XXIV.

Ja 666

ULB Halle

3

002 177 021



5b-700




Von 7

MC







Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

LUSSELLII

tica & p. t.
LS

ichiano

erarium.

aturo

ratissimig.

ri

ÆUN.

prottani,

dagogio Betha-
ni

riam publicè

m in Patriâ

m,

Æ,

s BRÜXERUS,

XXIV.

60.

70

